11-Vg 11 C

Dickinson (William)

K.

SPECIMEN

DIGESTI,

SIVE

HARMONIAE

BIBLIORUM VE-

TERIS ET NOVI TESTA-

MENTI.

MVSEVM BRITANNICVM

MVSEVM
BRITAN
NICVM

VENERABILI COLLEGIO CHRISTI CANTABRIGIAE,

In primis Reuerendo Viro D. Edmundo Baruello Præfecto, & Tredecim-viris eiuſdem.

GEntilibus in more fuit poſitum, in vicem, vertente anno, ſtrenas mittere. Id ipſum indicauit Suetonius, [a] vbi dicit Tyberium edicto prohibuiſſe ſtrenarum commercium. Hunc morem Eccleſia damnauit impietatis, & eo nomine antiquandum cenſuit. Tertullianus [b] ſceleſtum eſſe inter fratres dixit, quòd Saturnalia, & Ianuariæ, & Brumæ, & Matronales frequentarentur, munera commearent, ſtrenæ conſonarent, luſus conuiuia conſtreperent. [c] Eum poſt Alcuinus, Diabolicas ſtrenas nuncupauit. Concinit vtriſque [d] canon Concilii cuiuſdam veteris: Non licet Kalendis Ianuarii ſtrenas Diabolicas obſeruare; ſed in ipſa die ſic omnia beneficia tribuantur, ſicut reliquis diebus. Nec mirum, damnari ſtrenas, vtpote, ritu nefario, Iani & Saturni nomine ſacratas.

Non ergo vobis de more veteri ſtrenam mitto, Viri clariſſimi: mitto tamen. Is enim dies, qui annum abeuntem clauſit, hunc foetum nouellum excluſit meum: quem vobis fouendum formandumque trado; & apud vos, vt pignus animi gratias de beneficiis plurimis habentis, pono.

Reliquum eſt, vt vos me ipſi veſtra dignemini apophoreta. Quæ tandem illa, dixeritis. Scilicet, opellam hanc meam exigere ad limam iudicii critici: eandem, vbi eſt opus de nouo refingere: chriſtiano conſenſu, quantum par eſt, tueri: & perexilem iſtam voluntatis meæ ſignificationem æqui & boni conſulere. Hæc vbi feceritis, remiſſam mihi æſtimabo ſtrenam, non in ſimplum ſed cum incremento; imo Tyberianam, id eſt, [e] quadruplam; imo centuplam. Vale Præſes reuerende, vos quoque, Tredecim-viri optimi valete. Det Deus in perpetuum habeatis Domum compoſitiſſimam. Decemb. vltimo 97. Styli veteris.

Veſtris Reuerentiis addictiſſimus
G. Perkinſus.

[a] In Tyberio c.34.
[b] Lib. de idolat. c.14.
[c] Lib. de officiis diuin. c.4.
[d] Concil. Antiſiod. c.1.
[e] Sueton. In Tyberio. c.34.

Ad Lectorem monitio.

*E*Xhibeo tibi (Chriſtiane lector) hiſtoriæ ſacræ & cæleſtis Elenchum, ſiue Breuiculum. Digeſtum nomino, ſequutus [a] Tertullianum & exemplum Romani iuris: quod temporum & rerum geſtarum ordines explicando euoluit. In eo tibi quinque ſum (pro tenui mea parte) ſub aſpectum ſubiicere conatus,

[a] Lib. de Baptiſmo c.1.

1. Harmoniam temporum, ſiue Synchroniſmos.
2. Harmoniam hiſtoriæ veteris & Prophetarum.
3. Harmoniam Euangelicam.
4. Hiſtoriæ ſacræ totius ἐπιτομήν.
5. Inſignes ſingulorum capitum hyſteroſes.

Tu quid præſtiterim videas velim, & iudices.

Illud etiam volo te monitum, ex iis nonnulla quæ ſcribo, eſſe poſita in opinione dubia: quia deſtituor teſtimoniis ſcripturæ, quibus poſſim ſubniti. Verbi gratia, Iobi hiſtoriam, Ioſephi & Iacobi temporibus attexo tantùm ex coniectura probabili: propterea quòd illum fuiſſe ante Legem datam, poſtque Abrahamum, rationes in promptu ſunt. Idem in ſimilibus iudicium eſto.

Sicubi videris me diuertere à recepta & communi Chronologorum ſententia, ſcito ſcriptorum hoc genus eſſe poſitum in magna varietate & diſcrepantia: ſcito eſſe è doctiſsimis aliquos, qui ſtent à meis partibus: ſcito animum haud eſſe meum, cuiquam vt præſcribam, vt detraham, vt litem intendam. Veritatem, quantum poſſum in omnibus collineo, ſaltem quod veri proximum. Litium eſt plus ſatis: & non ſunt litigandi iſta ſed orandi tempora.

Si Digeſtum hoc meum indigeſtum quid obiiciat, ignoſce. Nam eo tantùm nomine trudo in lucem, vt illorum qui candidè rectèque iudicare & poſſunt, & volunt, iudicia pertentem: vtque poſſem ipſe dirigi, moneri, corrigi.

Errata.

In Prolegom. *Ecclipſis*, pro, *Eclipſis*. *Ptolemaiocum*, pro *Ptolemaicum*. *Cambiſis* 70, pro, 7. Pag. 4. Lineæ ſeptem poſtremæ pertinent ad proximam paginam & ad annum mundi 2185. Pag. 5. Dinæ natales altiùs ad priores annos referendi. Pag. 22. Verba, *Saul placatus opera Dauidis*, ponenda poſt hæc verba, *Dauid Saulis Citharœdus*. Pag. 41. Darius Medus. 34. pro, 24.

Prolegomena.

DIgeſtum, ſiue Harmonia ſacra eſt Bibliorum Veteris & Noui Teſtamenti deſcriptus ordo & ſeries. Ordo autem iſte pulcherimus ſit oportet, quiq; ab omnibus ſciatur digniſſimus; quem in ſcribendo eſt ſequutus author omnis ordinis.

Digeſtum duo miniſtrat, ordinem rerum geſtarum, ordinemq; temporum.

Ordo rerum triplex, naturæ, dignitatis, prudentiæ.

Ordo naturæ, eſt quum naturâ & exiſtentiâ prius primo explicetur loco. Exempli gratia; In libro Geneſeos primùm Creatio narratur, tum Lapſus, poſtea Meſſiæ reuelata promiſſio, &c.

Ordo dignitatis eſt, quùm dignius quod eſt priorē locū obtinet, licet fuerit poſterius naturâ. Gen. 5. 2. 32. *Genuit Noah Sem, Cham, Iaphet.* Hîc Sem eſt primus dignitate, non tamē maximus natu. Nam cæpit Noah liberos gignere annos natus 500. Sem vero natus eſt biennio poſt, quia ſexcenteſſimo ſecundo anno patris ſui, centenarius eſt. *Gen.* 11.

Ordo prudentiæ eſt, quùm eâ res ponuntur ſerie & *ἀκολουθίᾳ*, quæ breui perſpicuæ & continenti narrationi pertexendæ inſeruire videantur maximè.

Ordo iſte ſæpè admittit ſuas Hiſteroſes.

Hiſteroſis eſt inuerſio iuſtis de cauſis, &(vt ita dicam) præpoſteratio ordinis naturę. Eſtque duplex, Anticipatio & Recapitulatio.

Anticipatio eſt, qua aliquid narratur quaſi factum, quod tamen eo tempore & ordine quo narratur factum non eſt, ſed poſtea: Siue, eſt narratio poſterioris priore loco.

Nominum anticipatio eſt, quum nomina poſtea demum rebus vel locis impoſita, in prioribus hiſtoriis vſurpantur. *Gen.* 14. 27. *Inde reuerſi venerunt ad fontem Miſpah (ipſa eſt Cades.)* Hieronymus in hunc locum ait per anticipationem dici, quod poſtea ſic vocatum eſt. Nam locus apud petram in deſerto fons iudicii nominatur; quià Deus ibi populum iudicauit. *Queſt. Hebr. in Gen.* Sic Agar dicitur erraſſe circa Beerſheba. i. puteum iuramēti: quod tamen nomen ei puteo impoſitum eſt poſtea. Gen. 21.

Rerum anticipatio eſt, quùm res poſteriùs geſtę, prioribus admiſcentur hiſtoriis: vt Iſa. 38. 22. *Et quod eſt ſignum me iturum in domum Iehouæ.* Hoc dictum in fine capitis, videtur ponendum antè verſum ſeptimum: *Hoc ſignum erit* ———, Et ſic ponitur. 2. 20. v. 8.

Recapitulatio eſt, qua perindę narrantur quędam, quaſi ſequerentur in ordine temporis; quæ tamen ad priora pertinent. Hac ratione hiſtoria Micæ & bellum Beniaminiticum, quæ contigerunt dum Phineas adhuc ſacerdotio fungeretur, attexuntur hiſtoriis Eli & Samſonis; Phinea longè ante mortuo; niſi velimus eum vixiſſe annos 300. Iud. 18, 19, 20. c.

Atq; ita eſt ordo rerum in ſacris Bibliis: ſequitur ordo temporum, quem explicat Chronologia.

Chronologia eſt doctrina de tempore ſeculari. Hanc reuelauit Spiritus ſanctus in Scripturis, quatenus Eccleſiæ Dei interfuit eam cognoſcere: plenam autem ſcientiam eius, ipſe ſibi reſeruauit Deus. Act. 1. 6.

Chronologiæ partes ſunt duæ, Notatio & Syntheſis.

Notatio eſt quæ partium ſecularis temporis, quatenus per ſe ſpectantur, quantitatem & menſuram ſtatuit.

Partes temporis ſunt quinque, hora, dies, Hebdomada, menſis, annus.

Hora eſt quota pars diei, eſtq; ſimplex vel compoſita.

Hora ſimplex eſt vel naturalis vel temporaria.

Hora naturalis eſt viceſſima quarta pars diei naturalis.

Hora temporaria eſt duodecima pars diei artificialis. Iohan. c. 11. *Nonne ſunt horæ duodecim diei?* Et Math. 20. *in* parabola patrisfamiliâs, *matutini temporis, horæ tertia, ſexta, nona, vndecima* fit mentio.

Hora compoſita eſt quadrans vel quarta pars diei artificialis. Quatuor ergo ſunt cu-

iuſque diei artif. quadrantes; ſinguliquè tribus conſtant horis, quarum ab vltima nomen ſortiuntur. Primus ab aurora ad horam tertiam, dicitur hora tertia: ſecundus à tertia ad ſextam, dicitur ſexta: tertius à ſexta ad nonam, dicitur nona: quartus à nona ad occaſum ſolis dicitur veſpera. De hoc genere horarum loci videntur intelligendi. Mar.15.25. *Erat autem hora tertia quando crucifixerunt eum.* Ioh.19.14. *Erat autem paraſceue Paſcæ, hora quaſi ſexta———. Tum ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur.* Luk.23.44. *Erat autem fere hora ſexta & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram.* Summa eſt, Chriſtum crucifixum hora tertia & hora ſexta: hora tertia finita & elapſa, hora ſexta currente, & non completa.

Si quis dixerit, hanc diei partitionem fictitiam eſſe & nouam, audiat Cenſorinum lib. de die natal.c.20. Alii (inquit) diem quadripartito, ſed & noctem ſimiliter diuidebāt. Sciat etiam noctem apud Iudæos tributam fuiſſe in quatuor vigilias. Mat.14. *Quarta autem vigilia noctis venit Jeſus ad eis ambulans ſuper monte.*

Dies Hebraicus eſt vel naturalis vel artificialis.

Naturalis eſt ſpacium viginti quatuor horarum mane ſimul & veſperi continens.

Mane & veſpera termini cuiuſque diei ſunt: & veſpera duplex eſt. Prima eſt ab hora nona ad occaſum corporis ſolaris. Secunda eſt ab occaſu ſolis ad occaſum radiorum, ſiue noctis caliginē. Leu.23.5. *Primo die quartodecimo die, inter duas veſperas, paſca Iehoua eſto.*

Dies naturalis pro vſu vario eſt vel Ciuilis, vel ſacer.

Ciuilis, qui deſtinatur ciuilibus negotiis: fuitque, vt mihi videtur, apud Iudæos ab ortu ſolis ad ortum, id eſt, mane cœpit, Exod.18.14. *Cur ſedes tu ſolus & totus populus ſiſtit ſe coram te à mane vſque ad veſperi.* Mat.28.1. *Extremo Sabbatho quum luceſceret in primum diem hebdomadis.* Non eſt veriſimile Matthæum hæc loquutum ſecundum morem Romanum, quum præſertim Euangelium ſcripſerat Hebræis.

Dies ſacer eſt qui deſtinatur vſibus ſacris. Sacer fit dies à Deo tantum, cuius eſt benedictio & ſanctificatio temporis.

Dies ſacri initium habent à veſpera ad veſperam. Leuit.23.32. *à veſpera vſque ad veſperam celebratote ceſſationem veſtram.*

Dies ſacer omnium ſeculorum communis, eſt Sabbathum; quod eſt ex præcepto morali certus dies ſeptimus cultui diuino conſecratus. Hîc ſciendum, quandoque poni nomen Sabbathi pro ſeptimana. *Ieiuno bis in Sabbatho* Mar.16. *& prima Sabbathi.* 1.Cor.16.1.

Dies artificialis eſt ſpacium temporis ab ortu ſolis ad occaſum. Ioh.11. In æſtate proinde longior eſt, & per hiemem breuior.

Hebdomada eſt ſpacium ſeptem dierum; quandoque etiam eſt annorum. Dan.9.24. *Septimana Septuaginta——exciſæ ſunt, &c.*

Menſis Hebraicus eſt duûm generum, Solaris & Lunaris.

Solaris in vſu fuit circa tempora deluvii, continuitque dies 30. Nam (vt teſtatur Moſes Gen.8.) à decimo-ſeptimo die ſecundi menſis ad 17. diem ſeptimi menſis, ſunt dies centum quinquaginta, hoc eſt, quinque integri menſes, dierum ſinguli triginta.

Menſes fuerunt Lunares, inprimis poſt exitū ex Aegypto; horumque alter plenus fuit dierum triginta, alter cauus dierum $29\frac{1}{2}$. Hinc quotannis ad anni ſolaris complementum, Epacta fuit dierum vndecim; & tertius quiſque annus, nonnunquam etiam ſecundus Emblimæus fuit, habens menſem decimum-tertium, dictum Veadar.

Annus Hebraicus eſt ſolaris tropicus è diebus 365. horis 5.m.59. Hoc apertè docet Moſes in hiſtoria diluuii.

	Geneſ.
Anno 600. Noah menſe 2.d.17. cœpit diluuium.———	7.11.
Imber fuit noctes & dies 40.———	7.27.
Inualuerunt aquæ dies. 150.———	7.24.
Exactis d.150. quieuit Arca. menſe 7.d.17.———	8.4.
Deficiunt aquæ ad menſem 10.d.1.———	8.9.
Poſt dies 40. aperitur feneſtra.———	8.6.
Expectauit Noah d.7.———	8.
Expectauit alios dies 7.———	8.
Anno 601. menſe 1.d.1. ſiccata terra.———	8.13.

His

His omnibus expenſis & collatis, ſequitur annum eſſe complexum menſes duodecim, eoſq; ſingulos dierum triginta: ſequitur etiam ante Moſem, Epactam non fuiſſe vndecim ſed quinq; tantùm dierum.

Anni initium naturale eſt menſis Abid vel Niſan. Mundus enim videtur fuiſſe creatus verno tempore, non autumno. Quippe Noachus Arcam eſt ingreſſus primo menſe, & poſt annũ egreſſus ad finẽ ſecundi menſis. Primus autẽ & ſecundus hic menſis non conveniunt autumno, quia poſt ſecundum menſem Noah non poterat victum ſibi & animalibus neceſſariũ ad annũ ſequẽtẽ parare, elapſa iam meſſe ſecũda hiemeq; ingruẽte. Huic ſẽtentiæ adſtipulatur Theoderetus quæſt. 72. in Exodum: Ambroſ. lib. 1. Hexamẽ. c. 4. Leo Serm. 9. de paſſione. Beda de ratione temporum. Solet obiici, plantas & arbores cum maturis fructibus productas, & proinde fuiſſe creationem in autumno, ſed reſpondeo; indidiſſe Deum ſingulis arboribus potentiam fructus ſuis temporibus producendi: fructus autem in creatione maturuiſſe (nõ aliquos nego, quod certiſſimum, ſed omnes) nõ videtur certum, ſiue in vere initium ſtatuas mundi, ſiue in autumno. Ver etiam maturos fructus aliquos videtur exhibuiſſe perinde ac autumnus, apud Iudæos preſertim & oriẽtales; qui non longe à paſchate meſſem habuerunt. Exod. 9. 31. 32. Luc. 6. 1.

Initium anni ciuile fuit Thiſri menſis ſeptimus. Exod. 23. 16. *Feſtum collectionis eſto in exitu cuiuſq; anni, quùm collegeris labores tuos ex agro.* Hinc ſumebant initium emptiones, venditiones, ſeruitutes, remiſſio terræ, annus ſabbatarius & Iubilæi.

Præter annum naturalem fuit etiam propheticus, qui ex pari intelligendus eſt pro ſpacio annorum 360, et menſis propheticus ſimiliter conſtat annis 30. Rev. 11.

Notatio temporum dicta eſt: Syntheſis iam ſequitur.

Syntheſis eſt Chronologiæ ſecunda pars de compoſitione temporis cum tempore. Tempori in compoſitione quatuor accidunt. I. Duplicatio temporis, qua ſcriptura partem temporis anteacti extremam commiſcet cum prima futuri. Hinc eſt, quod anni regũ Iudæ & Iſraelis ſæpe coincidunt: qui niſi per quandã duplicationẽ non poſſunt apte cõputari. Chriſtus fuit in ſepulchro horis triginta ſex, vel circiter. Euangeliſtæ autem dicunt eum, *poſt 3. dies, & tertio die reſurrexiſſe.* Quĩ hoc tandem? Duplicato partem temporis mediam, optatum habebis.

II. Rotundatio temporis, qua dato tempori, addendo aliquid vel præcidendo, fit illius in dicendo vel ſcribendo numeratio commodior. Optimè Auguſt. q. 47. in Exod. *Solet ſcriptura tempora ita nuncupare, vt quod de ſumma perfectionis numeri paulatim excreſcit aut infra eſt, non computetur.* Exemplum eſto. Num. 14. 34. *Feretis panã iniquitatum veſtrarum 40. annos.* Hæc verba Iſraelitis dicta ſunt anno ſecundo poſt exitum: & proinde pœnam tulerunt annos integros 38. & circiter quadraginta.

Tertium eſt, ſumi tempus in ſupputationibus vel pro tempore completo, vel etiam pro tempore currente & nondum completo Math. 27. poſt dies tres reſurgam. 1. reg. 15. Decimo octauo anno Iereboam regnauit Abia tribus annis: & tamen poſtea dicitur, quod filius eius cœperit anno 20. Ieroboam.

Quartum eſt, Initium temporis in computationibus aliquando poni excluſiuè aliquando incluſiuè.

Tempus compoſitum eſt, quod fit é coniunctis ſeculis, annis, diebus, menſibus. Eſtq; vel mundi veteris vel renovati.

Tempus mundi veteris eſt duratio annorum ab initio mundi ad Chriſtum crucifixum. eſtq; annorum circiter 4000.

Mundi veteris ſabbathum eſt ſeptimus à creatione dies, cultui diuino in paradiſo ante lapſum conſecratus.

Paraſceue ſabbathi eſt pars antecedentis diei, qua fiebat, præſertim poſt legem datam, ciborũ preparatio pro ſabbatho futuro. Dicitur quidẽ, Ioh. 19. 14. *Paraſceue paſcha;* nõ eſt tamẽ propter ipſum paſcha, ſed propter ſabbathũ in paſcate. Mar. 15. *Erat paraſceue qua eſt ante Sabbathum.* & Luc. 23. *Erat autem paraſceue & ſabbathum illuceſcebat.* Deinde dies paſchæ non fuit dies totus ſacer ſed veſpera tantum, in qua fiebat agni mactatio: & ante per diem, opera ſeruilia videntur promiſſa. Mar. 14. 12. 13. 14. Hinc apparet paſcha non habuiſſe ſuam paraſceuen propriè.

Tempus veteris mundi eſt duplex, Inane, Lex.

Inane eſt ab initio temporis ad legem; habetq́; tres articulos.

Primus eſt à creatione ad diluvium, eſt q; annorum 1656.

Secundus eſt à diluvio ad promiſſionem Abrahamo factam annorũ 367. & non amplius. Opinor enim (meliori iudicio ſaluo) Abrahamum natum anno 70. Terah; nō autem anno 130. Ratio I. Teſtimoniũ Moſis Gen. 11. 25. *Terah vixerat 70. annos quum genuit Abrahamum, Nachorem, & Haranem.* Scopus autem capitis eſt, pertexere genealogiam Chriſti ab Adamo ad Abrahamum: huius ergo annos indicat non Nachoris vel Haranis; preſertim quùm idipſum in ſingulis generationibus Abrahamum antecedentibus, fecerat. II. Niſi ſumatur pro conceſſo Abrahamum natum anno 70. Terah, neſcietur planè quando natus fuerit. Si quis, Abrahamum natum anno patris 130, idq; ipſum ſcripturis cōſtare, dixerit; reſpondeo, non poſſe oſtendi per ſcripturas, Abrahamum magis natum anno Terah 130, quàm anno 131, vel 132. Nullibi enim dicit Moſes, Abrahamum profectum in Canaan *ſtatim eodem ipſo anno* quo mortuus eſt Terah. Non omnia quoad ſeriem hiſtoriæ coniuncta, tempore ſimiliter coniuncta. III. Abraham ducit loco miraculi ab eo centenario naſci filiũ; ergo is quomodo gigni potuit anno patris 130? Et non veriſimile Abrahamum natum 60. annis poſtquam Terah Nachorem & Haranem genuiſſet. *IV.* Abraham iuſſus abire in Canaan, non detrectauit obedientiam, ſed ſtatim vbi accepiſſet mandatum ſine mora profectus eſt, haud expectato patris obitu: quia per fidem iter inſtituit. Hebr. 11. Mandatum verò & promiſſionem accepit ante in Vre Caldæorum, quàm Haranē eſſet profectus. V. Iudiciũ veteris eccleſiæ mecũ cōſentit, idq; ſequendũ arbitror, niſi deflexum de via liquidò conſtiterit. *Aug. de Civ. dei lib.* 16. c. 15. *Huic aſſentitur Beda venerabilis:* idem *Ioſephus* & *Iſidorus* Hiſpalenſis, *orig. lib.* 5. Si quis obiecerit, Moſem narrare profectionem Abrahæ in terram Canaan poſt mortem Terah, reſpondeo hoc fieri per recapitulationen, vt continenti narratione hiſtoriam de Terah abſolueret. Si quis vrgeat verba Stephani Act. 7. *Et inde poſtquam mortuus eſt pater eius, tranſtulit illum in terram iſtam:* Reſpondeo; profectionem Abrahæ in Canaan duplicem fuiſſe. Prima ante mortem patris, fuitq; potius ad peregrinationem, quàm ad habitationem: de hac loquitur Moſes. Secunda profectio fuit ad Collocationem & fixam habitationem in terra Canaan. De hac profectione loquutus eſt *Stephanus* — μετῴκισεν &c. id eſt, tranſtulit ad habitationem in Canaan. Atq; ita ſe rem habere id argumento eſſe poteſt, quod Abrahamus ne portionem quidem agri coemit niſi anno vno vel altero poſt mortem patris. *Ita* me docuit reſpondere Auguſtinus loco prędicto: quid contra poſſit dici, nondum video.

Tertius articulus eſt à Promiſſione ad Legem. eſtq; annorum 430. Exod. 12. 40. *Incolatus Iſraelitarum, quo commorati ſunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Gal. 3. 17.

Mora filiorum Iſrael in Ægypto, fuit tantum annorum 210. Nam ab egreſſu ex Vre ad Iſaaci natales 30. anni: inde ad Iſaacum 60. inde ad profectionem in Aegyptum 130. Hos autē numeros ſi ademeris à 430. manebunt 210. anni, quibus habitabāt Iſraelitæ in Aegypto. Si quis dixerit, 600000. armatos ducentum annorum ſpacio, non potuiſſe è Iacobi familia propagari; dico fuiſſe poſſibile; quia tum in vſu fuit polygamia; quia tum gignebāt liberos viginti annis nati, vſquè dũ eſſent octoginta & amplius: quia tum fuit multiplicatio ſeminis promiſſa. Si quis vrgeat, Abrahamum non eſſe filium Iſrael: ac proinde 430. annos ſeruitutis non eſſe porrigendos ad Abrahami tempora, dico filium Iſraelis complecti non ſolum Iacobi ſed etiã omnes Abrahami poſteros. *Gen.* 48. Iacob dicit de filiis *Ioſephi*, *vocetur in eis nomen meum & nomen patrum meorum Abraham & Iſaac.* Filii ergo *Iſraelis* ſunt tota gens & familia Abrahami; ne excluſo quidem capite.

Tempus Legis eſt ab eiuſdem promulgatione ad paſſum Chriſtum, habetq́; articulos quinq;.

Primus eſt a Lege ad Templum: eſtq; annorum 480. 1. Reg. 6. 1.

Ad principium huius articuli, verum anni initium neglectum à *Iudæis* renovatum eſt à Deo. Exod. 12. 2. Feſti dies inſtituti, Paſca, Pentecoſte, Feſtum Tubarum, F. expiationis, Feſtum tabernaculorum.

Paſcæ

Paſchæ duæ partes; Mactatio agni, quę fiebat decimo quarto die primi menſis in veſpera illa quæ claudebat diem. Exod. 12.6. Pars altera eſt Feſtum ſiue ſolemnitas, qua immolabantur victimæ paſchales. Deu. 16. *Immolabis Paſcha Domino deo tuo de ouibus & bobus in loco quem elegerit dominus*. Exemplum vide. 2. Chron. 35. Feſtum hoc ſeptem dierum fuit, qui dies dicti ſunt azymorum. Primus dies azymorum cæpit ad veſperam claudentem diem decimum quartum: hanc ob cauſam decimus quartus iſte dies dictus eſt ex poſteriori parte primus azymorũ. Mar. 14. 12. Haud tamẽ immolabãtur victimæ, niſi decimo quinto die. Vltimus feſti dies ſabbathum fuit æquè ſolemne ac primum; & pro ratione ordinis dictum eſt, ſabbathum ſecundo primum. Luc. *6.* 1.

Feſtum pentecoſtes eſt quinquageſſimus ab exitu dies excluſiuè: quia Iſraelitæ egreſſi ſunt die 15. & initium 50. dierum à decimo ſexto die numerandum. Lev. 23. 16.

Annus quoq; ſacer duplex inſtitutus, ſabbatarius & *I*ubilæus.

Sabbatarius eſt ſeptimus quiſq; annus, in quo ceſſatio terræ conceſſa fuit.

*I*ubilæus eſt quadrageſſimus nonus annus a priore Iubilæo excluſiuè, id eſt, ſi priorem Iubilæum excludas; ſed quinquageſſimus eſt annus à priore incluſiuè. Leu. 25. 11. Sic cõmuniter omnes; ſed fortè Iubilęus eſt quinquageſſimus quiſq; annus diſtinctè numeratus.

Præterea in hoc articulo regimen Iudicum fuit per annos 357. quod ſubducto calculo facilè cõſtabit. Et proinde, quòd Act. 13. v. 20. dicitur deus Iudices dediſſe per an. 450. ita videtur accipiendum. A diuiſione terræ ad Samuelem ſunt tantùm (vt dixi) 357. Et hunc numerum D. Lucas videtur poſuiſſe, reiectis annis ſeptem poſtremis, vt rotundior eſſet numerus. Poſtea verò aliquis perlecto libro Iudicum, ex inſcitia pro τριακοσίοις ſubſtituit τετρακοσίοις: quia ex annis Iudicum & oppreſſorum diſtinctè numeratis, exurgit numerus 450. annorum. At diſtinctè numerari non debent, ſed pro certiſſima compoſitionis regula tenendum: Annis Iudicum annos oppreſſorum annumerandos eſſe.

Secundus articulus eſt á fundamento Templi ad eiuſdem excidium; eſtq; annorum 427. *I*n hoc articulo Regulæ compoſitionis ſunt. *I.* Plerumq; fit vt anni regum *I*udæ & *I*ſraelis ſint incompleti. *II.* Filius prorex regnat cum pater externis bellis occupato; *III.* Quandoq; impii regiminis anni non numerantur, tanquam ſi non eſſent. 1. Sam. 13. 1. *IV.* *A*nni, quibus regnat filius ſuccedens viuo patri, ſenio vel morbis confecto, imperio eiuſdem patris annumerantur.

Tertius articulus eſt tempus Captiuitatis Babylonicæ; eſtq; annorum 70. *I*erem. 25. 11. *I*nitium huius articuli mihi videtur eſſe ipſum Templi incendium anno Nabuchad. *19.* Eſt enim hæc captiuitas non ſolum deſolatio populi ſed etiam terræ, quæ ipſa etiam debet ſua ſabbatha agere. 2. Chron. 36. 22. Quieſcere autem ante hoc tempus non potuit, vt pote quæ regem, pontifices, ciues, agricolas habuit.

Quartus eſt à reditu ex Babylone ad initium Hebdomadum Danielis; eſtq; annorum circiter octoginta. Ratio. I. Prophetia Danielis *9.* 24. Loquitur de tali exitu ſermonis, in quo non Templi ſed ipſius vrbis inhabitatio & inſtauratio promulgatur. Edictum verò tale non occurrit vllum in Bibliis: ante ſeptimum annum Artaxerxis Longimani. Nam edictum Cyri, & edictum Darii Hiſtaſpis, vtraque non de vrbe ſed de templo ædificando loquuntur. II. Cœli conuerſiones, eccliſiumq; diſtantiæ tantum interuallum adſtruunt. Eclipſis quinto anno Nabupollaſaris ſiue Nebuchadnezaris, diſtat ab ea quæ decimo nono Tyberii contigit, annis Iulianis *6*53. Et ne forte quis Nebupollaſarem Ptolomaicũ cũ Nabuchadnezare eundem eſſe negauerit, vnum addo; Eclipſim lunæ in ſeptimo anno Cambiſis diſtare ab ea quæ contigit vndecim diebus ante Monarchiam Alexandri, annis Iulianis 1*9*2. diebus *6*4. hanc etiam diſtare ab ea quæ contigit anno decimo nono Tyberii, annis Iulianis 3*6*3. Præterea ab ec lipſi in anno 31. Darii Hiſtaſpis ad eclip. in an. vltimo Darii Codom. anni interſunt Iuliani. 151. Hæc perinde eſſe ac dico, apertè oſtendit Ptolomæi calculus, qui numerat a Nabonaſſore 126. annos Egyptios ad Eclipſim in quinto anno Nabupollaſaris: ad eclipſim in 70. anno Cambiſis 224: ad Alexandri obitum 424. ad Augusti imperium 718. *Almegiſti lib. 3. c. 8. & 9. 14.* Cum his conſentit calculus Prutenicus, eiuſque Aeræ ſiue Epochæ certiſſimæ, quæ ita ſe habent.

A Nabonaſſaro ad initium annorum,

	an. Iul.	d.
Obitus Alexandri.	423.	260
Iulii Cæſaris.	701.	309
Chriſti Dei.	746.	310
Ab *obitu Alexandri* ad initium annorum,		
Iulii Cæſaris.	278.	50
Chriſti Dei.	323.	51
A *Iulio Cæſare* ad initium Chriſti.	45.	1

Qui hęc fictitia putauerit, eundē oportet aſtronomiā omnē logiſticā à radicibus reuellere. Et quidē hoc veritatis ſacrorū voluminū inſigne mihi argumentū eſt viſum, quòd ſacra hiſtoria quoad ſeriē narrationū ſuarum cum cæli conuerſionibus ad amuſſim congruit. Et è contra hoc mihi documento eſt, initium Hedomadum haud eſſe aptandum annis Cyri vel Darii Hiſtaſpis: quia tunc hiſtoriæ humanæ fere omnes, & aſtronomicæ obſeruationes vt ſuppoſititiæ, fuerint negandæ.

Reges, quorum mentio apud Ezram, Nehemiam, Heſteram, Danielem, fere iam regnant: quos (iudicium D. Gualteri & D. Temporarii ſequutus) hunc ad modum diſtinguo. Sunt iidem vel Medi, vel Perſæ.

Medi duo. Primus Aſſuerus pater Darii Medi. Dan. 9. 1. Is Aſtiages eſt, Imperator Medorum & Perſarum; imperium habens ab India ad Aethiopiam Arabicam; nūquam orbatus imperio à Cyro Perſarum rege, vt falsò dicunt hiſtorici. Probabile eſt eum maritum Heſteræ fuiſſe, non autē Dariū Hiſtapſis, vel Xerxem. Ratio I. In Dario Hiſtaſpis grauitas & prudentia fuit coniuncta cum quadam pietate: in Aſſuero libido & leuitas. II. Mordocheus primo anno Cyri, ſoluta captiuitate in Iudæam remigrauit, Ezr. c. 2. Ergo non vixit in Perſide ſub Cambiſe, Dario Hiſtaſpis, vel Xerxe. Et non credibile, eundem, vtpote veri cultus Dei ſtudioſiſſimum, in orientem reuerſurum, quum libertatis beneficio poſſet vti. III. Xerxes anno 7. regni ſui extra Perſidem fuit vel Sardibus vel in Grecia; non niſi octavo anno domum reuerſus. Ameſtris quoq; vxor eius fuit ſceleratiſſima fæmina. De Suſis obiectū non mouet. Fuerit regia Perſarum Suſis regnante Cyro (vt aſſerit Strabo. l. 15.) tamen ante Cyrum potuit eſſe ibidem regia Medorum. Dicit enim Strabo lib. prædicto, non *niſi victis Medis Perſarum ibi regiam fuiſſe.* Si quis aliter exiſtimat, vtatur per me licebit iudicio ſuo: in his & ſimilibus non contendam.

Secundus eſt Darius Medus. Is primus fuit in expugnanda Babylone, Iſai 13. 17. *Ier.* 51. 11. & Babylonicum imperium eum penes fuit ſaltem per annum. Dan. 6. 1. Idem eſt Aſſuerus Ezræ c. 4. 6.

Perſarum reges ita ſe habent.

1. Cyrus an. 30. ſed capta Babylone 7. & inde annos Cyri orditur ſcriptura. Is (teſte Xenoph.) Darium imperatorem Medorum & Perſarum agnouit, quum exercitum duceret contra Babylonios, quorum regno præfuit cum Dario Medo. Dan. 5. 28.

2. Cambiſes 7. Is Artaxerxes, Ezræ 4. 5.

3. Darius Hiſtaſpis. 36. Huius edicto ædificatum eſt Templum, & non edicto Darii Nothi; niſi in ſecūdo āno Darii Nothi ſuperſtites aliquos dixerimus, natos ānis fere 200. Nam Aggæus hoc ipſo anno Darii ſumit pro cōceſſo, è populo adhuc eſſe reliquos, qui Salomonici Templi gloriam viderant & agnouerant. c. 2. v. 3.

4. Xerxes 21. Dan. 11. 2.

5. Artaxerxes Longimanus. 40. Ezræ 7. 1. & 6. 14.

6. Darius Nothus ſiue Ochus. 19.

7. Artaxerxes Mnemon. 43.
8. Darius Ochus. 23.
9. Darius Arſes. 3.
10. Darius Arſamis. 6.
} de his ſcriptores ſacri nihil vſq; ad Alexandrum, nec Ioſephus.

Quintus articulus continet Hebdomades Danielis, eſtq; proinde annorum 490. Hebdomades videntur mihi terminari morte Chriſti, non autem extremo Templi & Vrbis per Titum excidio. Ratio. *I.* Fœdus apertè confirmatum eſt cum multis partim prædicatione Chriſti partim paſſione: Si verò vltima ſeptimana ducatur longius ad excidium

vſq;

vſq; Vrbis; tūc tēporis etiā fœdus aliquod ſolemne cōfirmādū fuerit: at fœdus nō eſt cōfirmatum vltimâ ſeptimanâ magis quā penultimâ. *II.* Daniel apertè dicit ſeptuaginta ſeptimanas eſſe excilas ſuper vrbem & populum ad expiandum peccata, ad afferendum iuſtitiam ſempeternā, & ad vngendum Sanctum ſanctorū, id eſt, Meſſiam. Iam, ſi excidiū vrbis ſeptimanas clauſerit; non 70. ſed $65\frac{1}{2}$. ſeptimanæ his peragendis excindūtur: quia ſexageſſima quinta ſeptimanâ expiatio peccati facta eſt, vnctuſq; Meſſias. III. Si ſeptimanas orſus fueris à ſecundo anno Darii Nothi, Nehemias peruenerit ad 32. annū Darii Mnemonis & aliquāto lōgius: fueritque annos natus cētum nonaginta, tumque etiam habilis ad longa itinera. Ezra quoq; fuerit ætatis prouectioris.

In medio vltimæ ſeptimanæ cœpit miniſterium ſiue tempus ingreſſus & egreſſus Chriſti. *Act.* 1.22. *I*nitium miniſterii fuit quando à Iohanne baptizatus & ſpiritu ſancto vnctus ad prædicandum miſſus eſt; & durauit vſq; ad diem aſſumptionis: eſtq; trium annorum cum dimidio ferè.

Primus annus eſt à primo paſcate Ioan. 2.13. vſq; ad feſtum. Ioh. 5.1.

Secundus eſt ab illo feſto ad paſcha cuius mentio Ioh. 6.4.

Tertius eſt ab iſto paſchate ad paſcha illud quo Chriſtus crucifixus. Ioh. 13.1. Hoc paſcha fuit obſeruatum decimo quarto die ad veſperā tum à Chriſto tum ab ipſis Iudæis. Mar. 14.12. *Primo die Azymorum, quando paſcha mactabāt, dicunt ei diſcipuli vbi vis vt profecti paremus vt edas paſcha.* Luc. 22.7. *Tum venit dies Azymorum quando oportuit paſcha offerri.* Eſus paſchatis fuit vel eſus agni, vel epuli facti è parte victimarū legaliū. Eſus agni fuit ſemper 14. die: & non videntur Iudæi fuiſſe auſi apertiſſimam legem violare. Eſus epuli fuit die decimo-quinto & ſexto &c. non á pollutis tamen. De hoc poſteriori locus Ioh. 18.28. intelligendus, *noluerunt prætorium ingredi vt ederent Paſcha.*

Anni fere dimidium tempus eſt à Baptiſmo Chriſti ad primum paſcha.

Atq; ita eſt tempus mundi veteris: ſequitur tempus renovati, quod eſt ab aſcenſione Chriſti ad vltimum iudicium.

Sabbathum mundi renouati eſt dies reſurrectionis Chriſti, qui eſt octauus à creatione. Et videtur mihi Scriptura terminaſſe Sabbathum ad diem dominicum. 1. Cor 16.1. Collectas facere primo die hebdomadis eſt *διάταξις* apoſtolica: ergo etiam ſanctificatio huius diei in Sabbathum eſt *διάταξις* apoſtolica: quia Collectæ non fiebat, niſi cultu dei ſolemniter peracto. II. Ioh. apoſtolus agnoſcit hunc diem eſſe Dominicum. Apoc. 1.10. id eſt in honorē Chriſti ſacratum. Et cæteri Apoſtoli obſeruarunt eundem loco Sabbathi Iudaici. Act. 20.7. Idq; etiam feciſſe videtur Chriſtus ipſe. Ioh. 20.19.26. III. Cypriani ſententia eſt, circumciſionem fuiſſe ſacramentum Sabbathi octauo die in nouo Teſt. celebrandi. lib. 3. epiſt. 19. ad Fidum. Auguſt de ciuit. dei. l. 22. c. 3. Dies dominicus Chriſti reſurrectione ſacratus eſt. & Serm. 251. Dominicum diem Apoſtoli religioſa ſolemnitate habendum ſanxerunt.

Mundi.		Geneſis.	Chron. I.
	PRincipio temporis cœlum extimum creatur, & rerum viſibilium materies.	1	
d.	Eandem materiem fovet incubans Spiritus.	1	
1	Lux è tenebris orta.	1	
2	Expanſum creatur & diſtinguit aquas.	1	
3	Collectis aquis fit terra fructifera.	1	
	In horto Edenis duæ Arbores conditæ.	2	
4	Luminaria in Expanſo creantur.	1	
5	Aues & piſces creantur ex aquis.	1	
6	Brutorum animalium è terra productio.	1	
	Hucvſque ſolus vapor rigauit terram.	2	
	Corpus Adæ formatum è puluere.	1 & 2	
	Sufflauit Deus in nares Spiritum viuentem.	2	
	Eſtq; Homo formatus ad imaginem Dei.	1	
	Adamo ſiſtuntur beſtiæ vt nomina accipiāt.	1	
	Diæta herbarum & fructuum perſcripta.	1	
	Eua è coſta Adæ dormiētis creata.	2	
	Iehoua dat eam Adæ in vxorem.	2	
	Coniugii inſtitutio.	2	
	Coniuges in Hortum introducti.	2	
	Interdictum de Arboribus datum.	2	
7	Sabbathi inſtitutio & ſanctificatio.	3	
	Primum peccatum primorum parentum.	3	
	Citatis & conuictis pœnæ imponuntur.	3	
	Prima concio de Meſſia, vel, Semine Mul.	3	
	Iſcha iam vocatur Chava.	3	
	Veſtitus primus à Deo factus.	3	
	Eiectio Adæ & Euæ ex Horto Edenis.	4	
1	Cain primus è muliere natus.		
	Abel natus.	4	
	Cain & Abel offerunt Deo ſacrificia.	4	
	Cain inuidia motus occidit fratrem.	4	
	Deſperat idē, & eiectus à facie dei.	4	
	Vrbs prima in mundo condita.	4	1
130	Seth natus ætatis Adæ 130.	5	
235	Enos n. ætatis Seth 105.	5	
	Tum cæptum invocari nomen Iehouæ.	4	
325	Kenan n. æt. Enos 90.	5	
395	Mahalaleel n. an. 70 Kenan.	5	
460	Iared n. an. Mahalaleel 65.	5	
622	Enoch n. an. Iared 62.	5	
687	Methuſalah n. æt. Enoch 65.	5	
874	Lamech n. æt. Methuſalah 187.	5	
930	Adam moritur an. ætatis 930.	5	
938	Lamech primus Bigamiæ author.	4	
987	Enoch vivus in cœlum raptus. ann. 365.	5	
1042	Seth mortuus an. ætatis 912.	5	

		Mundi.		Geneſis.	Chron. I.
		1056	Noah natus an. 182. Lamech.	5	I
		1087	Organorum & artis fabrilis inuectio.	4	
		1140	Enos mor. an. ætatis ſuæ 905.	5	
		1235	Kenan mor. an. ætatis 910.	5	
		1290	Mahalaleel mor. an. ætatis 895.	5	
		1422	Iared mor. an. ætatis 962.	5	
Anni prędicationis Nohæ. 120	1	1536	Filii Dei nubunt ſe filiis hominum.	6	
			Ex his orti Nephalim.	6	
			Iam omnis caro corruperat viam ſuam.	6	
			Dei conſilium de Diluuio reuelatum.	6	
			Mandatum de Arca ædificanda.	6	
			Noah prędicat pœnitentiam.	6	
	20	1556	Iaphet natus ætatis 500. Nohæ.	6	
	23	1559	Sem natus an. 503. Nohæ.	11	
	25	1561	Cham natus.	6	
	114	1650			
		1	Lamech mor. an. ætatis 777.	5	
		2			
	120	6	Methuſalah mor. an. ætatis 969.	5	
	2	10	Mandatum de ingreſſu in Arcam.	7	
		17	Ingreſſus in Arcam.	7	
			Fit pluvia 40. dierum.	7	
	3	27	Vltimus dies imbrium.		
	7	17	Arca quieſcit in montibus Ararat.	8	
			Hic finiunt d. 150.		
	10	1	Apparent cacumina montium.	8	
	11	12	Emiſſus corvus & columba, quæ reuerſa.	8	
		19	Emiſſa ſecunda columba.	8	
			Reuerſa cum fronde oleæ.	8	
		26	Columba tertia non reuerſa.	8	
		7			
	1	1	Terra retecta ab aquis.	8	
			Noah tollit tectum Arcæ.	8	
	2	27	Noah (iubente Deo) exit Arcâ.	8	
			Offert Deo ſacrificia.	8	
			Ordo naturę reſtauratus.	8	
			Iris ſignum fœderis Dei cum terra.	9	
			Coniugii renouata inſtitutio.	9	
			Reſtitutio Dominii.	9	
			Conceſſus carnium eſus, excepto ſanguine.	9	
			Magiſtratûs officium ſancitum.	9	
			Lex de homicidio.	9	
			Vitis cultura, & Nohæ Ebrietas.	9	
			Cham irridens parentem punitur.	9	
			Pietas Semi & Iapheti cum premio.	9	
			Iapheti habitatio in tentoriis Semi præd.	9	
		8	Arphaxad natus an. 100. Sem.	11	
		1693	Selah natus an. 35. Arphaxad.	11	

Prom.	Mundi		Geneſis.	Chron. I.
	1723	Heber natus an. ætatis Selah 30.	11	
	1757	Peleg natus an. ætatis Heber 34.	11	
		Partitio terræ, ſive, origo gentium.	10	1
		Iaphet primus Rex Europæ.	10	
		Sem Aſiæ.	10	
		Cham Africæ.	10	
	1787	Regu natus an. ætatis 30. Peleg.	11	
		Nimrod ædificat Babel, Erech, Acchad, & Calneh.	11	
		Hic primus conditor Monarchiæ Aſſyr.	11	
		Turris Babylonica ædificatur.	11	
	1819	Serug natus an. 32. Regu.	11	
	1849	Nahor natus an. 30. Serug.	11	
	1878	Terah natus ætatis 39. Nahor.	11	
	1948	Abram natus 70. Terah.	11	
	1957	Saraï nata.	17	
	1996	Peleg mor. an. ætatis 239.	11	
	2005	Noah. mor. an. ætatis 950.	11	
Prom.	2023	Promiſſio terræ & poſterorū Abramo facta.	12	
		Terah cum Abram migrat ex Vr Chald.	11	
		Haranem perventus, conſedet illic.	11	
		Abrami migratio in Canaan.	12	
		Inde ſtatim, vrgente fame, Ægyptum petit,	12	
		Saraï erepta reſtituitur intacta.	12	
		Incolumes Ægypto exeunt.	12	
	6	Regu mor. an. ætatis 239.	11	
	9	Abram & Lot reverſi in Canaan, ſeiuncti.	13	
		Terræ & poſterorum renouata promiſſio.	13	
	2030			
	1	Lot in direptione Sodomi abducitur.	14	
	1	Abram liberat eum è manibus 4. regum.	14	
		Victoriæ nomine honoratur à regibus.	14	
		Offert Deo victimas.	14	
		Nil ſibi de præda retinet.	14	
		Abram deplorat defectum liberorum.	15	
		Promiſſio terræ & poſter. renovata.	15	
10	3	Saraï Abræ iungit ancillam.	16	
		Hagar ex fuga ad heram redit.	16	
	4	Iſmael natus.	16	
	2040			
20	7	Circumciſio inſtituta an. 99. Abræ.	17	
		Nomina mutata Sarai & Abræ.	17	
		Abraham circumciſus & familia.	17	
		Abr. angelos conuiuio excipit.	18	
		Promiſſio ſeminis repetita.	18	
		Conſiliū Dei de euerſione Sodomæ reuelatū.	18	
		Interceſſio Abr. pro Sodomitis.	18	
		Lot angelos excipit.	19	

Prom.	Mundi		Geneſis.	Chron. I.
		Sodomitarum ſcelus.	19	
		Loti & filiarum liberatio.	19	
		Sodomæ conflagratio.	19	
		Loti inceſtus cum filiabus.	19	
		Abrahami ex Mamra in Beerſheba migrat.	20	
		Ob raptum Saræ, Abimelech punitur.	20	
		Is Abraham precibus ſanitatem recipit.	20	
	8	Iſaac natus an. Abrahæ 100.	21	1
		Serug mor. an. ætatis 230.	11	
	2050			
30	2	Iſaaci ablactatio.	21	
		Hagar eiecta cum Iſmaele.	21	
		Fœdus Abrahami cum Abimilecho.	21	
	2060			
40	1	Abr. tentatur, immolatione filii imperata.	22	
		Loco filii offertur aries.	22	
		Promiſſio benedictionis confirmata.	22	
	2070			
50				
	2080			
60		Terah mor. an. ætatis 205	11	
	3	Μετοίκησις Abrahami in Canaan. Act. 7.		
	5	Sara moritur an. ætatis 127.	17	
		Abrahami planctus.	23	
		Loci ad Sepulturam emptio.	23	
		Sepultura Saræ.	23	
	8	Abraham filio de vxore proſpicit.	24	
		Rebecca ei in vxorem obtinetur.	24	
		Iſaac Rebeccam accipit in vxorem an. 40	24	
		Abrahã ducta Ketura liberos ſuſcipit.	25	
	2090	Hos cum muneribus ab Iſaaco dimittit.	25	
70	6	Arphaxad mor. an. 483.	11	
	2100			
80	8	Iacob & Eſau n. an. Iſaac 60	25	
	2110			
90	3	Abraham, mor. an. ætatis 375	25	
		Sepultus ab Iſaaco & Iſmaele.	25	
		Eſau ius primogen. vili pretio vendit.	25	
	6	Iſaac petens AEgyptum manet Gerari.	26	
		Metu fingit Rebeccam ſororem eſſe.	26	
		Secedit in Beerſhebam.	26	
	2120	Promiſſio Iſaaco repetita.	26	
100	8	Eſau ducit vxores Ethnicas an. ætatis 40	26	
	2130			
110	8	Sem mor. an. ætatis 600	11	
120	2140	Iſaac Eſauo benedictionem deſtinat.	27	
		Iacob aſtu matris eam ſurripit.	27	
		Iacob de conſilio matris abligatus à Beerſheba in Charan.	27	
		Iacobi ſcala in ſomno viſa.	28	
		Iacobo promiſſio repetita.	28	
		Iacobus in Labanis familiam receptus.	29	

Prom.	Mundi		Geneſis.	Chron. I.
	1	Iſmael mor. an. ætatis 137.	25	
150	2170			
160	2180			
	5	Septennii pacta ſeruitus pro Rahele.	29	
		In nuptiis Lea ſupponitur, & recipitur.	29	
		Iacobus alterum ſeptennium paciſcitur pro Rahele.	29	
		Rachel ſuperinducta Leæ.	29	
	6	Mors Heberi an. 464.	11	
		Ruben natus		
	7	Simeon natus		
	8	Levi natus } è Lea.	29	2
	9			
	2190	Iuda natus		
	2	Dan natus		
170	3	Nepthali natus } è Bilha Rahelis.	30	
	4	Gad natus è Zelpha ancilla Leæ.	30	
	5			
	6	Aſſer natus è Zelpha.	30	
	7			
	8	Iſſaſhar natus è Lea.	30	
	9	Ioſeph natus è Rachele an. Iacobi 91.	30	
		Iacobi pactio ſex annorum pro pecore.	30	
		Mercedem 2. artibus conſequitur.	30	
		Zebulon natus.	30	
	2200			
	1	Dina nata è Lea.	30	
180	5	Iacob à Deo redire in Meſopot. iubetur.	31	
		Clam Labane cum familia diſcedit.	31	
		Iacob incuſatus furti, defendit ſe.	31	
		Iacob & Laban fœdus pacis ineunt.	31	
		Iacob confirmatus ab angelis.	32	
		Fratrem timens, auxilium Dei implorat.	32	
		Lucta Iacobi cum Angelo per noctem.	32	
		Iacob nominatur Iſrael.	32	
		Eſau Iacobum benignè excipit.	33	
		Munera precibus victus accipit.	33	
		Se cum ſuis comitem itineris offert Iacobo.	33	
	6	Iacob moratur in Zuchot.	33	
	7	Pervenit in Sichem: vbi 8. an.	33	
		Ibidem empto agro altare extruit.	33	
	9	Iudæ diuertentis à frat. nuptiæ cum Suah.	38	
	2210	Her natus.	38	
	1	Onan natus.	38	
	2	Selah natus.	38	
190	3	Dina rapitur à filio principis Shecem.	34	
		Shechemitæ ideo à Dinæ fratribus occiſi.	34	

Prom.	Mundi		Geneſis.	Chron. I.	Iob.
		Iacobi iter in Bethel.	35		
		Ibidem votum perſolvit.	35		
		Debora nutrix Rebeccæ moritur.	35		
		Benedictionum confirmatio à Deo facta.	35		
	4	Rachel Beniaminis partu moritur.	35		
		Rubenis inceſtus cum Bilha.	35		
		Mulorum origo.	36		
	5	Ioſeph vitia fratrum patri retegit.	37		
		Somnia de principatu in familia patris.	37		
	6	Ioſephus venditur anno ætatis 17.	37		
		Iob opera Satanæ amittit facultates & Liberos.			1
		Corpore ſuo grauiſſimè affligitur.			2
		Ab amicis inviſitur.			2
		Iob diei ortus ſui maledicit.			3
		Contra amicorum criminationes iuſtitiam ſuam tuetur.			5,31
		Elihu hortatur eum ad agnitionem peccati.			32
		Iob à Deo reprehenſus reſipiſcit.			40
		Offert ſacrificia pro ſe & amicis.			42
		Reſtituitur, bonis auctus duplo.			42
	9	Thamar data Hero in vxorem: idem mor.	38		
		Onan, eâdem ducta, ob facinus perit.	38	4	
	2220				
200	2	Iudæ inceſtus cum Thamar.	38		
	7	Ioſeph fit pręfectus domi Potiphar.	39		
		Caſtitas Ioſephi.	39		
		In carcerem compingitur 3. an.	39		
		Ioſeph in carcere pręfectus Miniſtris Regis.	40		
		Illorum ſomnia exponit.	40		
	8	Iſaac mor. an. ætatis 180.	35		
	9	Somnia Pharaonis.	41		
		Ioſeph ſomnia exponit.	41		
		Conſilium dat contra famem venturam.	41		
		Hinc regno Ægypti fit pręfectus æt. 30.	41		
		Nuptiæ Ioſephi.	41		
	2230	Anni 7. fertilitatis incipiunt.	41		
	1	Manaſſes natus.	41		
210	2	Ephraim natus.	41		
	4	Ezron natus.		2	
	6	Annorum famis initium.	41		
	8	Iacob mittit filios Ægyptum.	42		
		Ibi à Ioſepho explorationis inſimulantur.	42		
		Promittunt ſe adducturos Beniaminem.	42		
		Annonam cum pretio domum referunt.	42		
		Miſſus Benia. & reliqui pro annona.	43		
		Ioſeph aperit ſe frat. humaniter exceptis.	43		

Prom.	Mundi		Geneſis.	Chron. I.
	9	Iacob deſcendit in AEgyptum an. 130.	46	
		Comitatus familiâ 70. animatum.	46	
		Ioſeph profectus obviam excipit patrem.	46	
		Dat conſilium de reſponſis.	46	
		Iacob in conſpectum regis adducitur.	47	
		Regio Goſhenis conceſſa.	47	
		Ibi quietè à Ioſepho ſuſtentantur.	47	
	2240			
220	1	AEgyptii præ fame agros & iumenta vendũt.	47	
		Seruitus AEgyptiorum ſub Pharaone.	47	
	2	Ioſeph ſementem dat AEgyptiis.	47	
	2250			
230	5	Iacob deſignat ſepulcrum in Canaan.	47	
		Iacob filios Ioſephi cooptat.	48	
	2280	Minorem maiori diuino inſtinctu præponit.	48	
		Ius primogeniti à Rubene in Ioſeph.	48	5
260		Præterita filiorum flagitia caſtigat.	49	
		Singulis euentura prædicit.	49	
	2300	Vaticinium de Meſſia venturo.	49	
280		Voluntatem de ſepultura repetit.	49	
		Iacob in fide moritur ætatis 147.	49	
	9	*I*oſeph mor. anno ætatis 110.	50	
		Corpus aromatibus conditum aſſeruatur.	50	
	2310		*Exod.*	
290	3	Iſraelitæ numero & viribus aucti.	1	
		Dura ſeruitute premuntur.	1	
		Decretum regium de tollendis clam maſculis infantibus.	1	
	2320	Simeon, *I*uda, Rubẽ, *I*ſſachar, Zebulon mor.		
300	2330			
310	5	Levi moritur anno ætatis 137.	6	
		Ram natus.		
	2360	Edictum de ſubmergendis pueris.	1	
340	2370	Aaron natus.	7	
350	3	Cahat moritur.	6	
		Moſes natus ex Amram & *I*ocabed.	2	6
		Seruatur Moſes expoſitus in aquis.	2	
	2380	Educatur in ſapientia AEgyptiorum, Act. 7.		
360				
380	2400	*I*oſua natus, *I*oſu. 14.		
	2410			
390	3	Moſes occidit AEgyptium.	2	
		Metu Pharaonis fugit in Madian.	2	
		Nuptiæ Moſis cum Tzippora.	2	
	4	Caleb natus, *I*oſu. 14.		
	2420			
400		Viri Gath cædunt Ephraitas ob peculatum.		7
420	2440	Amram moritur ætatis 137.	6	
	2450			
	1			
	2			

Prom.	Mundi		Exodus.	Numeri.	Chron. I.
430	3	Deus reſpicit Iſraelitarum gemitum.	2		
		Vocatio Moſis æt. 80. vt ſit liberator populi.	3		
		Quomodo ſe gerat, docetur.	3		
		Moſis detrectantis confirmatio.	4		
		Suſcipitur vocatio adiuncto Aarone.	4		
Exitus		Vxorem liberoſque reducit ad Iethronem.	4		
		Confirmatur vocatio à Deo.	4		
		Impetrata venia, is cum familia iter facit Ægyptum verſus.	4		
		Neglecta filii circumciſio punita.	4		
		Illo circumciſo à Zippora, deſiſtit Deus.	4		
		Moſes dimiſit Zipporam ad parentem.	18		
		Moſes & Aaron legationem Regi exponũt.	5		
		Vt ſeditionis capita repelluntur.	5		
		Iſraelitarum labores aucti.	5		
		Curatorum querelæ ad Regem.	5		
		Iidem expoſtulant cum Moſe.	5		
		A deo auditur & confirmatur Moſes.	6		
		Deus promittit complementũ promiſſionũ.	6		
		Non attendunt Moſi Iſrael, præ anguſtia.	6		
		Pharaonem adire iuſſus, metu detrectat.	6		
		Moſes & Aaron contra regem obfirmati.	7		
		Baculum verſum in draconem.	7		
		Rex præſtigiis obduratur.	7		
		Aquæ in ſanguinem verſæ.	7		
		Rex Magorum faſcino cæcatus.	7		
		Pharao populum Dei detinet.	8		
		Plagæ ranarum, pediculorum, colluviei.	8		
		Phar. ſimulat dimiſſionẽ, ſed obduratur.	8		
		Plagæ peſtis, vlcerum, grandinis.	9		
		Pharao peccatum confitetur.	9		
		Poſtea obfirmat animum.	9		
		Monetur Moſes de pertinacia Pharaonis.	10		
		Immiſſa plaga locuſtarum.	10		
m.	d.	Abib fit primus menſium.	12		
